



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punct. Diff. 2. Explicantur autoritates in oppositum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

dentibus, &c. misericordiam prorogavit. Exprobrat Deus in vacuum suas gratias receptas. Iſai. 5. Matth. 21. ad Hebr. 6. immeritò autem id faceret, si à sua parte requisitam ad agendum gratiam non conferret. Ut ostendit idem D. 42. Sect. 1. & reliq.

Imò nec sanctitas uniùs, alterius peccatum damnaret, si peccans non haberet necessarium ad agendum requisitum, ut videre est apud eundem Sect. 7. Unde etiam Aug. respondens ad hoc, quòd si peccarunt primi Parentes in natura integra, nobis multò magis peccandum sit, respondens inquam lib. 3. de libero arb. c. 9. inquit, *Recte fortasse quærentur si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret. Cum verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem &c. conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, &c. quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.* Addo, ex eo ipso, quia nos præcepta obligant, colligi potest, nihil nobis sufficiens & necessarium ad operandum, deesse, alias præciperet nobis quod non est in nostra potestate, quòd argumentum dilatat Ruiz totà disp. 43. Ad quòd respicit Aug. l. de natura & grat. cap. 69. eo ipso quòd creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere hinc admonemur in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Addè ejusdem locum in Pl. 56. *Neque imperaret hoc Deus si impossibile judicaret ut ab homine fieret, si considerans infirmitatem tuam deficiis sub præcepto, confortat in exemplo, adest ille qui præbet exemplum, ut præbeat & auxilium.*

Denique si ipsi præsciti & prædestinati habent gratiam sufficientem, multò magis alii. Antecedens autem docet Aug. l. de Præd. & grat. c. 13. *Alios derelinquens ad æqualitatis judicium reservavit, nulli tamen agnoscenda veritatis absulit facultatem.*

Punctum Difficultatis 2.

Explicentur Auctoritates in oppositum.

1. **A**UCTORITAS est. Ex Sac. Script. quæ non rarò dicit de reprobis & obduratis, & in particulari ad Hebræos 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati &c. & prolapsi sunt renovari ad penitentiam.*

RESPONDETUR. Illo loco non plus velle Apost. quàm quod baptisatis non detur renovatio per iteratam baptisimi susceptionem, sed & aliter hic & alii loci explicari possunt, quòd Ly impossibile sumatur illic pro valde difficili, & rarò evenienti, non autem pro simpliciter impossibili, hujus habetur fundamentum in Arist. lib. 1. de Cælo cap. 11. *Impossibile inquit, dupliciter dicitur, aut enim, quia non verum est dicere ortum esse posse, aut quia non facile, nec cito, nec bene oriri potest.* Similia habet S. Thom. 1. par. q. 86. art. 1. ad 2.

2. **A**UCTORITAS est Aug. in lib. de Cor-

rept. & grat. cap. 11. *Si hoc adjutorium, vel Angelo, vel homini, quàm primum facti sunt defuisse, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio possit manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent, adjutorium quippe defuisse, sine quo manere non potuissent, nunc autem quibus deest tale adjutorium jam pæna peccati est.*

RESPONDERI solet 1. Quòd hic locus debeat intelligi de negatione auxilii efficacis. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Quia hic loquitur de adjutorio quod datum Angelis malis, & Primis Parentibus, hoc autem non erat efficax. Rufus: quia agit de auxilio quòd si non daretur, sine culpa caderent Angeli & Adam, sed hoc non nisi fuit sufficiens: quia cum efficaciam non cecidissent. Nec est ad hoc recurrere, quòd hic Augustinus agat de gratia habituali; nam si caruisset Adam gratia habituali, habuisset autem sufficiens, cum culpa cecidisset, & tamen hic ait Augustinus de gratia, quæ si caruisset Adam, sine culpa cecidisset.

RESPONDET 2. Ruiz de Prædest. cap. 47. Sect. 7. Pæna Originalis est, quibus deest adjutorium tale; quale non defuit Angelo, & primo homini, videlicet: ut sine ulla difficultate posset perseverare si vellet. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Quia de tali hic auxilio loquitur Aug. quòd nisi datum fuisset primo homini, sine culpa cecidisset; hoc autem auxilium, non est facilitativum, præcisè loquendo. Nam quamvis non facilitasset; modò dedisset sufficientes vires ad agendum; non utendo illo cum culpa cecidisset Adam.

RESPONDERI potest 3. Quòd agat hic quidam August. de auxilio sufficienti, dicitq; illud datum Angelo & Adamo; & si hoc non fuisset datum, cadere illi non fuisset culpa: quia denegatio illius auxilii, non fuisset in pœnam alius antecedentis peccati facta; sed referri deberet in meram voluntatem Dei, consequenter cadere sine illo auxilio non fuisset illi culpa. Sed quamvis nos hoc auxilio careamus: quia negatio illius in originale; & actualia nostra, referri potest, adhuc sine illo cadentes, verè peccamus. Hanc responſionem non esse damnandam videtur supponere Pallavic. in votis Consultorum apud Montalcium in Censura primæ propositionis, si hæc censuræ non sunt Apocryphæ. Sicquæ docent Henricus, Gregor. Cajetan. Roffens. Ruardus. Omnes apud Vasq. in 1. p. disp. 97. cap. 2. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT plenè, quia non se expedit distinctè ab hac propositione. An detur auxilium sufficiens, de quo hic, supposito etiam originali.

RESPONDET 3. Suar. lib. 4. de Gratia, cap. 18. num. 16. Quòd scilicet datum sit auxilium primo parenti tale; ut cum illo non tantum singula peccata, sed etiam omnia collectivè vitare posset; adeoque etiam perseverare in gratia;

etiam probat Suar. Auctoritate August. *tunc ergo dederat Deus bonam voluntatem, in ea quippe fecerat illum rectum, dederat adiutorium in quo posset perseverare si vellet; ut autem vellet, in ejus reliquit arbitrio.* Et infra. *Quia noluit permanere perfectus ejus culpa est, si permanere voluisset.* In natura autem lapsa, auxilium quod datur ad posse perseverare non est tale, ut cum illo tantum de facto perseveret, & velit, sed indigemus alia speciali motione Dei, quæ quia non datur, pœna peccati est. *Hec Responsio*

NON SATISFACIT. Quomodo enim, quamvis non habuisset gratiam ad totam collectionem peccatorum vitandam, sine culpa cecidisset. Cum nos non habendo gratiam ad omnia vitanda venialia; tamen in singulis, cum culpa cadimus. Deinde nullus textus August. citatur à Suar. qui ostendat loqui Aug. de illo auxilio ad omnia vitanda peccata. Denique perseverasset quidem Adam in gratia sicut & posterius, si non peccasset primo peccato, sed quod alio non esset peccaturus, licet delendo postea illud, de hoc non constat. Denique cum incepisset Suar. loqui de collectione peccatorum, prolabitur ad perseverantiam, quæ duo longe diversa sunt.

RESPONDERI tandem potest. Quod August. affirmet non omnibus semper dari auxilium proximè sufficiens, sed interdum negari in pœnam peccati, cum tamen proximè sufficiens habuerit Adam, quo si caruisset, sine culpa cecidisset: quia subtractio illius auxilii, non potuisset reduci in ullam antecedentem culpam, nec est absurdum dicere, quod interdum non datur auxilium proximè sufficiens. Unde etiam Innoc. non quomodocumq; dicit posse secundum præfentes, quas habent homines, vires (hoc est proximè) servare præcepta, sed iustos, eosque non quomodocumque acceptos sed volentes & conantes; sed inde non sequitur, non dari usquam auxilium proximè sufficiens condistinctum efficaci, cum illud dari, alia loca August. Innocentiiq; decretum evincat. Oppositi autè negant, usquam dari tale auxilium, distinctum ab efficaci, & tamen proximè sufficiens, & dans totum quicquid à parte potentiae requiritur. Vide i. p. D. 5. q. 4. D. 2. plura de hoc loco

3. AUCTORITAS est Aug. ex q. 2. ad Simpl. *Ad alios vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit, quæ moveri non possent, vocati quidem dici poterunt, sed non electi.*

RESPONDETUR. Ly non possent; non excludit absolutum posse converti, sed ostendit vel difficultatem, vel suppositionem malæ voluntatis; quo etiam modo debet explicari locus ex Lib. de Prædest. SS. cap. 6. Unde quando etiam ibidem dicitur, Deum suo iudicio aliquos non docere, intelligendum est, non docere efficaciter; quando autem ibidem cap. 8. dicit. Non in hominum esse potestate sed in Dei, ut habe-

ant potestatem filios Dei fieri, id ostendit gratiam esse in potestate conferentis Dei, sed non negat Deum hac potestate uti, etiam si non sequatur effectus v. g. conversionis; quando autem cap. 14. ibidem docet, quod aliquibus non tantum datum non sit ut crederent, sed etiam non esse datum unde crederent, reprobisque non adhiberi ea dicta & facta, quæ possent credere si audirent. Ly illud unde accipiendum erit de unde auxilii efficacis, majorisque in ratione Doni.

4. AUCTORITAS est ex Lib. exposit. quarundam propositionum epist. ad Rom. Prop. 62. *Non ergo hoc illi (supple Pharaoni) imputatur quod tunc non obtemperavit, quando quidem obdurato corde obtemperare, non poterat. Sed quia dignum se præbuit cui cor obduraretur priori infidelitate.* Quam propositionem non retractavit August. licet retractarit plures ex eodem libro.

RESPONDETUR. In dicta Auctoritate, duo esse difficilia. Imprimis, quia dicitur illi non imputari quod non obtemperavit. Ergo per nos non debuit habere gratiam sufficientem: quia per nos qui illam non haberet non peccaret male agendo. Deinde quia dicitur in dicta Auctoritate, quod Pharaon non potuerit obtemperare. Quod attinet ad secundam propositionem. Ly illud non poterat, potest accipi ex suppositione consequenti, & secundum præscientiam, ut ordinariè loquuntur nostri. Desumitur hæc responsio ex ipsomet August. tr. 53. in Joann. ubi explicans, quare non potuerint credere Judæi, sic respondet, *quare autem non poterant,* inquit, *si à me queratur, cito respondeo: quia volebant.* Ad illud autem primum quod attinet, est quidem verum, quod destitutus sufficienti gratia non peccet, sed non ad hoc hic attendendum, sed attenditur quod hic, qui in sua obduratione non habet gratiam efficacem, illam præcisè non habendo non peccet, sed peccat illo actu in cuius pœnam denegata est illi efficax gratia, colligitur hæc mens August. ex aliis locis quæ recitat Ruiz de prædest. d. 45. S. 7. Hinc etiam in lib. 83. quæst. dicit Aug. Pharaonem noluisse converti, & non dicit, non potuisse. Unde loco citato in Joann. sic loquitur Aug. *Non poterant,* inquit, *credere, non quia mutari in melius homines non possunt, sed quamdiu talia sapiunt (ex suppositione scilicet dissensus) non possunt credere.* Ad quod attendens docet Suar. quod scilicet: quia in sensu composito cum dissensu non obtemperet aliquis, non imputatur illi ad culpam, sed imputari illi ad culpam, quod postuerit sensum compositum. Posset etiam æquivalenter hunc locum August. retractasse. Nam Serm. 68. de Temp. confutat Doctrinam eorum, qui dicunt Pharaonem non peccasse.

5. AUCTORITAS est, ex pluribus locis August. & plurium Conciliorum. Ubi dicitur Deum neminem deserere nisi ipse prius deseratur,

ratur, quæ desertio non est intelligenda de auxilio efficaci. Ratio: quia de facto Deus deseruit aliquos, v. g. Angelos malos & Adamum gratiâ efficaci, antequam ipsum deseruissent. Neque enim ad primum peccatum præsupponebatur aliud peccatum. Ergo deseruit Deus, etiam auxilium sufficiens non conferendo.

RESPONDETUR. Hunc locum posse accipi de gratia habituali quæ non aufertur ante peccatum. Potest etiam accipi de gratia actuali, quia scilicet, nulli negat gratiam suam concomitantem, nisi stet per malitiam ipsius hominis nolentis operari: Quando autem alicubi negat Aug. quod Deus omnes homines etiam à parte sua voluerit salvare, intelligendus est quod non voluerit omnes à parte sua eodem modo salvare, quia non omnes efficaciter, nec à parte sua Deus selegit auxilium, cum selectio illis ad Deum spectet.

6. AUCTORITAS est, ex Epist. 106. ad Vitalem col. 6. ubi cum dixisset: Scimus majoribus ad singulos actus dari gratiam, subdit, *Scimus eis quibus non datur* iusto iudicio Dei non dari: qui locus accipiendus de gratia sufficienti: quia etiam majoribus non ad singulos actus datur gratia efficax.

RESPONDETUR. Videri has duas propositiones contradictorias, quia si majoribus ad singulos actus datur. Ergo non denegatur. Hinc in priori propositione loquitur August. de gratia sufficienti, quæ est indifferens ad sufficientem proximè & remotè; in posteriori autem loquitur vel de gratia efficaci, vel de gratia proximè sufficienti.

7. AUCTORITAS ex Lib. 1. Retract. cap. 15. *Qui verò inquit cogenti cupiditati bonâ voluntate resistere non potest, ideo facit contra præcepta iustitiae, cum hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati*: Ubi August. agnoscit non posse resisti cupiditati.

RESPONDETUR. Cum dicat August. non solum illic esse pœnam peccati, sed etiam esse peccatum, debet intelligi dari auxilium sufficiens. Ly ergo illud non potest, vel intelligitur de non potest facile, vel non potest proximè, vel ex suppositione dissensûs.

Punctum Difficultatis 3.

Ad quid detur Gratia sufficiens?

COMMUNIS est persuasio Thomistarum, gratiam sufficientem dari quidem ad posse agere, sed non dari ad agere actu. In præsentī concedendum est, quod si detur gratia non nisi remotè sufficiens, ea hoc ipso non possit agere proximè actu, hoc ipso enim non esset posse remotum. Sed quod gratia sufficiens proximè detur non tantum ad posse agere, sed etiam ad agere actu, de hoc in præsentī discurrendum.

DICENDUM est. *Gratiam sufficientem dari etiam ad posse agere actu.*

PROBATUR 1. Auctoritate Trident. quam proponit Suar. l. 4. cap. 7. quem consule, accedit Auctoritas Catechismi Romani, in expositione Orationis Dominicæ ad verba Dimitte nobis. *Nemini inquit, dubium esse potest, quin ille auctore in nostra potestate sit, nobis Dei gratiam conciliare.* Ubi non dicit posse conciliare; sed conciliare quod actum importat.

PROBATUR 2. Variis Auctoritatibus PP.

I. Sit August. Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Noluit ergo Esau & non eucurrit, sed & si voluisset & eucurrisset.* Dei adiutorio pervenisset, ubi ut vides, non concurrit actuale. refert August. in noli illius, & non in defectum posse actu currere.

II. Est Fulgentii quam recitat Ruiz, de Prædestinat. d. 39. S. 2. ex epist. 7. ad Venantium. *Multus est ad ignoscendum, in quo multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors est, deesset autem illud posse operari actu.*

3. AUCTORITAS est Cyrilli, Lib. 1. in illis: ubi illa verba, quid est quod debui facere ultra Vineæ meæ, dicit: *Si nullius rei indigam iurim, profectò neque alicujus auxilii omnino necessarii.* Certè autem deesset auxilium omnino necessarium, si non daretur id, quod possit agere actu.

PROBATUR 3. Quia, si gratia sufficiens (supple proximè) esset ad posse agere, & non esset ad posse agere actu, & esset ad posse agere, ut supponitur, & non esset ad posse agere, ut probatur: quia posse agere, est posse actu, seu actionem: agere enim infinitivum, & actio seu actus pro eodem sumuntur. Si autem illud auxilium est ad posse agere. Ergo & ad posse agere actionem, seu actu, hæc enim verbis differunt: Nam quamvis posse actionem, & agere actu, non sint idem, tamen posse actionem, & posse agere actu idem est: quia actio semper est actu actuale, hinc posse actionem, erit posse agere actu.

Idem medius terminus sic aliter proponitur. Posse agere necit secum essentialiter posse actu agere. Ergo si gratia sufficiens datur ad posse agere, hoc ipso datur ad posse agere actu. Antecedens probatur. Tum quia, Potentia Visiva, auditiva, & alia innectunt secum essentialiter posse actuale visionis, auditionis, &c. Unde etiam, quia visiva non habet posse actuale auditionis, rectè inferitur à posteriori, nec habet posse auditionis, idque ex nexu inter hæc duo posse agere, & posse actu agere. Tum quia, Potentia quæ essentialiter non potest agere actu, non est potentia ad agere: ex nullo enim capite potest dici posse agere, si implicat ut agat actu: quid enim potest, si implicat ut illud faciat; quia illud ly implicat, supponit pro ly non potest. Unde si implicat illud agere actu quod potest.